

1982-10-28 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Quanta Beatae’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

QUANTA BEATAE

**IMAGO B. MARIAE VIRGINIS NIVALIS, QUAE IN MONTE «IGLIZNA»,
INTRA FINES ARCHIDIOECESIS VRATISLAVIENSIS, CUSTODITUR,
PRETIOSO DIADEMATE CORONATUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Quanta Beatae Virginis Nivalis imago colatur pietate, quae in monte «Iglizna» seu Acuum custoditur, intra paroeciae Sancti Ioseph Międzygórze fines posito et archidioecesis Vratislaviensis, catholicorum concursus optime significat, qui per aetates iam inde ab anno 1782, cum eidem Virgini est ibi ecclesia dicata, se illuc indesinenter contulerunt, benignam dulcissimae illius Matris tutelam et efficacissimam apud Deum intercessionem impetraturi, cuius beneficia quamplurima fuisse eius templi annales describunt. Ad huiusmodi autem cultum augendum et ad debitas Dei Genetrici gratias persolvendas protot favoribus decursu temporis concessis, Venerabilis Frater Henricus Gulbinowicz, Archiepiscopus Metropolita Vratislaviensis, vota expromens sua, cleri et Christi fidelium, rogavit ut Nostro nomine Nostraque auctoritate imago illa posset pretioso diademate coronari. Qua re Nos, collatis cum Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino consiliis, libentissime annuimus petitioni ac per has Litteras auctoritate Nostra Apostolica facultatem ei facimus ut imagini, quam nuper memoravimus, Nostro nomine pretiosam imponat coronam, praescripta de ritu et formula secutus. Ceterum Nos vehementer confidimus hoc sollemni facto tum tantae Deprecatricis, caeli terraeque Reginae, gloriam auctum iri, tum catholicae illius communitatis fidem et mores firmatum. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Octobris, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quinti.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*